

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

tam clementer misertus. Sed ut ad alia veniam, ^{axgja.149} illud de tuis Prælectionibus M. Füglini est, quod tamen ex ipsa urbanitate te puto potuisse animadvertere. De M. Piscatore mihi amicissimo homine & mei, ut ego judico, observantissimo, proximè non tam meum, quam D. Doctoris parentis tui judicium adscripseram; sed nequaquam deplorata res est, ut ex literis ad M. Erasmus intelliges. Ipse autem Piscator se vobis hoc tempore per me excusat, quod propter vices sibi non vacet scribere, & officiosè salutat utrunque. Scriptum contra Rabum justum erit volumen, & refutationem complectetur totius Pontificiæ abominationis, & jam ad finem fermè deductum est. Sed nostri Magistratus editionem non videntur concessuri, itaque ad vos forsan mittetur, quod cum quanto nostræ urbis dedecore conjunctum sit futurum, tute vides. Sed Vurmsero & aliis obtemperandum fuit, qui metuunt, ne cælum ruat. Dn. Carolus Mügius graviter decumbit, sed speramus piorum preces apud Dominum aliquid posse; morbus est epidemia pleuritis, cum calore febrili, & tussis. Bene & feliciter vale, Humanissime Philippe. Calend. Aprilis, 1570.

Tuus ex animo frater

Johannes Pappus.

XXXVIII.

S. in Christo Ihesu, salute nostra.

AD Epistolam tuam, Humanissime M. Erasme, & tardius, & brevius forsitan, quam par est, respondeo. Sed tarditatem hominum ad vos, me quidem conscio, euntium raritas excusabit, brevitati ipsa temporis ratio, cujus jam ad scribendum datur parum, veniam impetrabit. De Illyrico, & ejus subscriptione sic habeo. Quærit D. Jacobus Andrea, non suis Articulis, sed normæ Zerbestanæ (qua tria Symbola, [Confessio Augustana, Apologia; Articuli Smalcaldici, Catechismus Lutheri continentur] suffragia Theologorum superioris Germaniæ. In qua cum Illyricus etiam nunc versetur, ab ipso per nos idem peti voluit. Ille libros hos approbat quidem omnes, & suam eorum judicio doctrinam submittit: sed in subscriptione necessariam tamen sibi arbitratur esse additionem, quod in certaminibus superiorum annorum pro hac ipsa norma pugnaverit. Hanc Protestationem omitti vellet D. Jacobus, & simpliciter ab Illyrico scribi, ut nos, & alii fecimus. Ego N. N. corde & manu subscribo. Dn. Doctor autem pater tuus, quia & paulò aliam rationem

rationem esse intelligit personæ Illyrici, quam aliorum, & quia hætenus sub-
 scribendi formulæ, modo λόγος non essent ἀπορρήτων, liberæ omnibus fue-
 runt, hoc ei non denegandum esse arbitratur: & speramus D. Jacobum eam
 formam, quam proxime ei ab Illyrico misimus, approbaturum. Interim Wi-
 gandus Illyricum denuò adortus dicitur, amarulento admodum & Sophi-
 stices valdè pleno scripto, ut D. Flinnerus heri mihi referebat: nam neque
 Dn. D. neque ego adhuc vidimus. Et inter hæc Cadmæa prælia, hinc Zwin-
 gliani nobis obturbant, illinc Pontificii, absque fronte, veteres imposturas &
 fraudes, quantum possunt, reducunt, & ab alia parte Turca Austriam popu-
 laturus esse nunciatur. Cæterum de M. Piscatore, & ejus imitatione Scheg-
 kii, phrasas quasdam, & partitiones rerum Theologicarum intelligebat Dn.
 Parens tuus, quas ex Schegkiana Theologia nonnunquam adfert, ut illam
 prima statim lectione propositam, & postea aliquoties repetitam enumeratio-
 nem causarum justificationis, ubi formam quidem Fidem facit, sed meritum
 Christi instrumentum appellat: cum quidem nondum tres menses elapsi sint,
 ex quo, sed ante Piscatoris adventum, D. Doctor Christo formam, Fidei ma-
 num mendicam publica lectione tribuisset. Sed illam alteram exposicio-
 nem, qua ratione D. Jac. Andræ aliquando explicaverit, non ignoro, ut illa
 explicacione pro me sum contentus: sed tamen vestri parentis judicium ad vos
 rectè scribi arbitrabar, qui mallet eâ ipsum dicendi ^{καὶ τὸν λόγον} uti, cujus apud
 se fundamenta olim jecit. Interim præter vos hoc ex me audivit nemo; ma-
 gnificacio illius dona, industria, dexteritatem, candorem, & vicissim ab ipso
 me coli existimo. Quod si præter aliquorum expectationem apud nos sit,
 qui nos dissidere mallent, næ habent illi, quo vel rumpantur, si ita velint,
 Tua tamen exhortatio, mi Erasme, pergrata mihi fuit, daboque operam, ut
 intelligas, te in admonendo me operam nequaquam luisse. M. Florus quid
 post Pascha docturus sit, ignoro: eam enim, quæ ad Titum est, epistolam ab-
 solvit. M. Piscator cras secundum Philippenfium caput inchoabit. Ego in
 medio Hofæ, h. e. in fine septimi capituli heri substiti. Inter cæteros, præ-
 ter Tuppium, Beutherum, Giphanium, nemo publicè docet: nam Dasipo-
 dius nondum convaluit. Valdè laboramus de D. Isaaco Kellero, qui à nobis vo-
 luntatem non alienam videtur gerere. Sed eum si nancisci non poterimus vellet
 Dn. Doctor alium ex vulgo Medicorum nominari, sed integram nobis cum aliis
 actionem relinqui; qua de re & ipse ad D. Sulcerum scripsit, & ad vos utrum
 per Podagram scribere posset, dubius erat. Itaque ut vos de eo monerem, jus-
 sit, efficeretis apud herum vestrum, ne alius nobis commenderetur. Sed inter
 manus crescit epistola, quam brevitatis nomine initio excusavi: nunc loqua-
 citatem deprecor. Derebus domesticis, ex tuis intelliges: eæ si externam
 aliquorum valetudinem spectas, afflictæ sunt; sin DEI paternè visitantis eos

animum, loco & conditione bona. Nam iudicium Domini à domo iusti incipit, ut non ignoras, &c. Salutant te amanter vicissim, quibus in tuis salutem adscriperas. Ego quoque Dn. Doctori Sulcero mea qualiacunque officia reverenter oblata velim. Vale in DOMINO, optime Erasme, spiritu, anima, & corpore integer. Argentorato Cal. Aprilis, anno Servatoris 1571.

Tuus ex animo frater

Johannes Pappus.

XXXIX.

Salutem in Christo.

Literas tuas proximas accepi, quibus Illyrici subscriptionem misisti, & quæ in Scheckii Commentariis Collegæ tui desiderant. Quod ad subscriptionem attingit, optimo consilio monui, ut esset simplicissima & brevissima, ne scilicet suspiciones auferemus eorum, qui aliquando sunt lecturi, nihil illius conscientia præsentens. Cum igitur hoc modo illi visum fuerit subscribere, pro mea persona non magno opere repugno. De D. D. Scheckio non est, quod sis sollicitus. Jampridem enim hoc egi, quod tu mones. Ac si domi fuisset, nihil horum fuisset factum. Loco enim, quo de Justificatione & bonis operibus loquitur, publico scripto ita se declarat, ut omnes intelligant, eum cum Papistis minime facere, quorum sententiam damnat & execratur. Est admonitus de phrasi, agnoscit se minus propriè locutum. De Illyrico & opinione ipsius de substantia peccati negare non possumus, D. D. Scheckio minime probari. Et vidit tuam quoque Epistolam ad me scriptam, quam tamen ego illi non dedi. Prius enim habuit, quam ego ex Saxonia redirem. Cum autem illi exposuissem, quæ sit sententia vestra, idem in vobis desiderat, quod vos in illo. Vultis enim Substantiam hominis corruptam esse, non accidentia in homine, quod ipse quoque fatetur, sed secundum substantiam negat. Siquidem illa est totius animæ abolitio, quam vos non asseritis. Cum igitur corruptio aut sit secundum quid, aut simpliciter, secundum quid, facile admittit Scheckius. Et plus dicitur, si dicamus: substantia est corrupta ratione accidentium, quam si dicamus: accidentia esse tantum corrupta. Omnes enim vires hominis sunt corruptæ, quæ sunt substantiales, sed ratione bonitatis; quæ enim prius erant bonæ, jam sunt malæ, quæ nihil nisi malum cogitare & facere possunt, priusquam regeneratio fiat. Quando autem ipsum cor & ipsa anima dicitur peccatum, hoc non simpliciter dicitur, sed secundum quid, ut gradus corruptionis cogitetur, qui non possit esse major. Sicut phrasi usitata dicimus de homine: hic homo est ipsa humanitas, non quod humanitas sit ipsius

essen-